108

Stephanus Dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux Lithuaniae Russiae, Prussiae, Masoviae, Livoniaeque etc. Princeps Transylvaniae

Generose fidelis nobis dilecte. Cum videremus Generosum Gasparum Macziejowski Stabuli nostri praefectum, ita aere alieno esse obstrictum, ut nisi suis creditoribus solvendo esset, procul dubio iam ad punctum bannitionis deveniret, In quo volentes eidem aliquid adferre subsidii, maxime autem si cum suo adversario Generoso Nicolao Zebrzidowio convenisset, promiseramus eidem repraesentaturos esse Octo millia Florenorum. Licet autem nullam adhuc prorsus cum eo transactionem fecisse, nec eo fidem suam eliberare posse videamus, tamen cum id semel eidem promiserimus, iam tandem promissis nostris satisfacere volumus, Proinde det F. T. operam, ut eandem summam octo millium Florenorum undecunque potest ex proventibus nostris, eidem numeret et repraesentet. Non putamus autem aliunde id fieri posse, nisi ex Salinis nostris aut Cracovien. aut Russicis, Itaque et ex eisdem concedimus ut F. T. hoc eidem exolvat. Nos autem id totum visa recognitione illius a F. T. pro rite expensis rationibus suscepturi sumus. Bene valeat F. T. Datum Grodnae die XX Januarii Anno Domini MDLXXX Sexto Regni vero nostri Decimo

Stephanus Rex

187

aut si id videbitur apud Pala-tinum [illegible] etc.

Woj. i Miejska Biblioteka Publiczna
BIBLIOTEKA
Główna
w Bydgoszczy

Generoso Hiacincto
Mlodzieiowski Curiæ
nr̃æ Thesaurario et
Zuppario nr̃o Cracouien
fid. nob. dilecto

1586.

Do Casparo Młoszieiowsk[illegible]
[illegible] [illegible] [illegible]
fl 8000 [illegible]

Woj. i Miejska Biblioteka Publiczna w Bydgoszczy BIBLIOTEKA Główna
RKp 1219/78.

(87?) 90.